P.

Descriptio

ACCIPITRIS POETICA.

AUTORE *Gulielmo Hogæo.*

837 L. 35

P.

Descriptio

ACCIPITRIS POETICA.



AUTORE *Gulielmo Hogæo.*

BRITISH MUSEUM

AD

CLARISSIMUM

THOMAM JONSONUM, *Virum Doctrina & Eruditione Præclarum, Omnique Virtutem genere Expolitum.*

SI quis roget cur ego hanc descriptionem Accipitris Poeticam composuerim, sciat me impulsum fuisse crebris rogatibus cujusdam viri præclari, cognomento *Mott*, titulo Militaris honoris insigniti, cujus Pater est Consiliarius honorificus *Colcestriæ*. Vir ille & pater ejus sunt uterque viri Docti, & Doctrinæ amatores & admiratores: qui perlecto opere quodam a me compositio, animum in me benignum acceperunt. At cur hunc libellum tibi, clarissime *Jonsone*, Dedicaverim, rationes in promptu habeo. Nam tu illam operum meorum, quæ ad tuas manus pervenerunt, partem tam honorifice æstimasti, ut hanc meæ, ob tuam in me, nulla alia commendatione, quam librorum quorundam a me compositorum lectione tibi cognitum, benignitatem & benevolentiam, gratitudinis testificandæ opportunitatem libenter sane amplectar. Tu illos libros tanti fecisti, ut etiam Discipulis tibi concreditis prælegeris, meque autorem videndi ardore quodam raptus fueris, visumque magna sis prolequutus benevolentia, te que sis testatus, mihi benefaciendi opportunitates libenter amplexurum.

Sunt tres ex præcipius *Anglorum* Nobilibus, qui tuo de me judicio adstipulantur. Nobilissimus Comes *Pembrokiæ*, Præses honorifici Reginæ Concilii. Vir

Doctrina longe illuſtriſſimus, qui omnibus, ad quos evectus eſt, honoribus multa cum laude perfunctus eſt. Nobiliſſimus Dominus *Sommers*, Baro de Eveſham, qui antepaucos annos fuit *Angliæ* Cancellarius qui Doctrina, eruditione, juris prudentia, omnique virtutum genere quemvis Magiſtratum Regali autoritati ſubditum gerere eſt digniſſimus. Nobiliſſimus *Robertus Harlæus*, cujus Doctrina & acumen ingenii, aliæque præclaræ virtutes effecerunt, ut bis Parlamenti *Anglicani* Orator eligeretur. Sunt etiam alii *Angli* Nobiles, qui erga me benignitàtem exercuerunt, quorum nomina an huic ſchedulæ inſerere conveniret, dubitabam. Fautores etiam habui, qui ex aliis regionibus ortum duxerunt. Nobiliſſimi Domini *Dickveldi*, qui mihi impenſe favebat, cum luctu mentionem facio. Nuper venerat in *Angliam Batavorum* legatus, & morte ſubitanea omnibus bonis luctuoſa præreptus eſt. Vir ille fuit eruditione, prudentia & morum humanitate ingens *Batavorum* decus & ornamentum. Poſſum eitiam dicere me a Nobiliſſimo Domino de *Lyon Crown*, Regis *Succorum* Legato, viro, eruditione inſigni prædito, aliquando magna cum humanitate tractatum fuiſſe. Nunc ad te redeo, Clariſſime *Jonſone*, ſub cujus nominis patrocinio hunc meum Accipitrem in manus homnum prodire volui; tuus in literas & literatos amor præclaris ſane dignus eſt encomiis, & magna tua in me benevolentia juſtam mnino meretur gratitudinem. Hoc igitur meæ ob tuam in me benevolentiam gratitudinis teſtimonium, benigne accipias & boni conſulas, & favere pergas illi, qui eſt,

Deſcriptio
ACCIPITRIS POETICA.

ACcipitrem celebrare ſatis quis carmine digno
Suſtinet, & meritis laudum decorare trophæis?
In tenui eſt labor, at tenuis non gloria, ſiquem
Enthea Muſa movet, ſpiratque in pectora Carmen.
Accipitrem loca celſa juvant, petit ardua pennis
Altivolis, cœlumque & ſydera ſcandere geſtit.
Ille per aerias ſublimi corpore nubes
Rumpit iter, Terramque oculis videt ille ſuperbis
Suppoſitam, & ſuperas generoſo pectore ſedes
Affectat. Si prædæ inhians aliquando petiſſat
Inferiora, iterum rapta cava nubila præda
Tranſvolat, atque fuga celeri ſe attollit in altum.
Nec, Phaeton, tua fata timet, pennæve ruinam
Icariæ; nec propter humum perdicis adinſtar
Penna humili volitat, ponitve in ſepibus ova.
Sed nidum locat ille ſuum ſuper ardua rupis,
Nutrit ubi implumes cæſorum ſanguine fœtus.
Ut leo magnanimus nulli dat terga ferarum,
Sed terrore ſui vultus & murmure vocis

Qua-

Quadrupedum genus omne fugat, ſic unus omnes
(Tantum aquilis ſimilem cunctis donamus honorem.)
Accipiter dominatur aves, nam robore fortes
Vincit, & antevolat celeres, ſubitoque prænendit.
Luminibus late circumſpicit omnia celſis
E ſcopulis, aliamque videns per inane volucrem,
Devolat & pedibus comprenſam eviſcerat uncis;
Atque ſuam domat inde famem, partemque reducit,
Unde ſuos foveat pullos, nidumque loquacem.
Aerium ſi forſam iter laſſaverat illum,
Ardua ſyderei penetrantem ad culmina Regni,
Nubila tam altivolis ſunt ipſa ſedilia pennis;
Hic capit alternam requiem, vireſque reſumit.
Hinc alias ſpeculatur aves, non viſus ab illis,
Luminibus penetrans nubes, paſſimque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto,
Huc illuc dum prædo vagus late omnia luſtrat.
Ille autem impoſito cum ſubdidit ora capiſtro,
Humano paret generi, dextræque Magiſtri
Inſidet, atque illum paſſim comitatur euntem,
Protinus ergo, ſui dimoto tegmine roſtri,
Aerium conſcendit iter, viſamque volucrem
Dum ſequitur, vario ſe verſat in aere gyro;
Et nunc inferiora petit, nunc alta capeſſit
Intentis in prædam oculis, per inane vagantem
Huc illuc pennis trepidis, tandemque prænenſam
Ungue terit, roſtro lacerat; dein rurſus ab alto
Devolat, & ſolita geſtit ſe ſiſtere dextra,
Jam ſpoliis prædaque gravis, votoque potitus.

Atque

Atque iterum impoſito ſua ſubjicit ora capiſtro.
Audite, in madidis quos inter vina popinis
Nocte dieque juvat pretioſum abſumere tempus,
Remque domumque ſimul patriam rumore ſiniſtro
Frangere; proh! Quanto eſt veſtra empta dolore voluptas
Unde trahunt miſeram corpuſque animuſque ruinam.
Delitias ſpectate novas, quas crimine nullo
Carpitis, unde animus pariter corpuſque juvantur:
Aerias ſecat, ecce, vias generoſa volucris,
Inſequiturque ſuam ventorum turbine prædam
Ocyor, atque iterum ſpoliis inſignis opimis,
Devolat ad notum Dominum, blandeque ſalutat.
Cum jubet ille ſuis ſe attollit ad æthera pennis,
Cum revocat convertit iter, cupideque miniſtrat,
Ut cum ſervus heri variis ſe nutibus aptat,
Utque ancilla ſuæ dominæ cum accommodat aurem,
Impiger ut miles ductorem in bella ſecutus,
Arma manu truculenta rapit, pugnamque laceſſit,
Atque iterum, revocante ſuo ductore, recurrit,
Inque ſinu pacis placido dulcique recumbit.
Quis vero accipitris cunctas expromere laudes
Sufficiat? Mole exigua ſit quamlibet, ingens
Ingenio eſt, animique ſui viriutibus. Ergo
Parva etiam mireris, ineſt ſua gratia parvis.

FINIS.